



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. V. Argumenta contra puncta quæ sint vniones partium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

indivisibile vnum quantitatis, & hoc penetrat alias partes quantitatis, etiam partes quantitatis poterunt penetrari inter se, quia si simul aliquid quantitatis penetrat aliud, proculdubio etiam multum poterit multum, & consequenter omnes partes inter se. Contra Secundò, ergo impertinentia profus sunt talia puncta, quia nec vniunt partes inter se, nec illas continuant, nec terminant, nec occupant nouum locum. Non vniunt, quia per se non sunt vniones, sed res vnibiles. Non continuant, quia non sunt inter partem, & partem. Non terminant, quia non sunt post partem. Tandem quia argumenta, quibus ea puncta probant, omnia corrumpunt, si non sint extra partem; solent enim arguere à corpore perfectè sphaerico tangente planum in solo puncto; hoc autem fieri nequit, si punctum sit intra partem, tunc enim necessariò se tangunt in parte: rursus aliud fortius ex tempore, vbi existit instans solum, iam autem ponunt illud intra partem. Hoc idem in aliis omnibus eorum argumentis manifestè ostenditur.

Iam magis in particulari argumentor contra hæc puncta, quia non possunt dari terminantia, alias quando diuiditur continuum, deberent ibi resultare noua puncta; ergo deberent, quotiescumq; homo mouetur & intersecatur aër (idem est de quocumque animali) quotiescumque separatur vna gutta liquoris ab alio, & vno verbo, singulis momentis in innumeris locis, quia diuiduntur corpora, & consequenter materia prima illorum corporum; deberent inquam tunc creari noua puncta materiae. Respondet Suarez, hæc non creari, sed emanare à materia. Sed hæc est questio de solâ voce: cum enim illud punctum verè sit independens à subiecto, verè debet creari, non minùs quàm anima rationalis. Iam autem vbi est agens, à quo talia puncta ibi producantur? & vnde colligis eorum necessitatem? Eodem modo probatur, nec esse talia puncta continuantia, quia rursus, quando aër vel aqua continuatur, deberent ea puncta continuantia produci & terminantia annihilari. Vt autem concedas de factò omnibus ferè creaturis virtutem annihilandi & creandi, non putò inducèris facile, qui nec de potentia absolutâ id vbi concedere vlli creaturae.

41 Secunda difficultas est. Si enim ponantur ea puncta continuantia, vel inter punctum & punctum est pars diuisibilis, vel solum indivisibilis. Si indivisibilis, ergo nihil est ibi quod tandem non sit indivisibile, quod Zeno docuit. Si diuisibilis, ergo & continua, & tamen sine puncto. cur ergo & ceteræ partes non poterunt sine punctis continuari? Confirmatur: etiam si denat ea puncta continuantia, punctum tamen in tuâ sententiâ vnitur parti sine alio puncto, sed per se (non excludo per hoc modos vnionis, sed loquor de extremis vnitis) ergo pars poterit vni parti sine puncto medio: quæ enim maior inimicitia inter partem & partem, quàm inter hanc & punctum excogitabitur, ut illæ non possent iuxta se federe, sic verò pars iuxta punctum?

42 Tertiò, omittis aliis rationibus quæ non sunt tam contra istam sententiam, quàm contra omnes Aristotelicos (& de quibus infra) sic puncta hæc reicio, quia vel illud punctum est eiusdem rationis cum parte, vel diuersæ. Si diuersæ, non fa-

cient propriè extensionem & compositionem integram: quis autem inter extrema integritas aquæ aut ignis posuit diuersitatem specificam? tunc enim deberent duo ignes diuersi specie poni, vnus qui punctis, alter qui partibus constaret, quæ sunt manifestè absurda. Si verò dicas, ea puncta esse eiusdem rationis cum parte, ergo ex punctis constat pars, & solum erit differentia, quod pars dicat multa puncta, punctum verò solum dicit vnicum punctum. tunc autem iam venis ad Zenonis sententiam, continuum scilicet tandem resolui posse in puncta, siue sint infinita siue finita, de quo iam non ag.

Tandem sic argumentor: Si propter mutuum contactum corporum, ponis superficiem indivisibilem, vt v. g. quando tango chartam, eam tangam in superficie solâ sine penetratione. Contra, ergo lignum mediâ ex parte intra aquam existens, tanget aquam & aërem simul, ergo debebit habere duas superficies immediatas, & consequenter totum constabit superficiebus. Pater prima sequela: quia per vnâ superficiem tangit aquam, per alteram immediatam tangit aërem: vna enim eademque non potest duo corpora tangere, nam duæ illæ superficies aëris & aquæ vna est supra alteram, ergo per vnicum punctum vel superficiem non potest lignum esse in æquali altitudine cum vtrâque illâ superficie, sed necessariò debebit habere vnâ quâ cum superficie aquæ faciat planum, & aliam quâ cum superficie aëris faciat aliud planum: illæ autem sunt immediatæ inter se, ergo habet duas superficies indivisibiles immediatas, ergo & totum lignum hoc modo constabit eis superficiebus, & tandem sola erunt puncta.

SECTIO V.

Argumenta contra puncta quæ sint vniones partium.

M VITI recentiores deserere nolentes ex vnâ parte sententiam communem, quæ docet, in continuo dari puncta; aliunde verò, vt à difficultatibus, quæ contra ipsa fieri possunt, liberarentur, solum ea puncta vt modos vnionis admissere, inter quos est Hurtadus Disput. 1. §. sect. 3. Sed hi nomine tantum non se satisfaciunt communi auctoritati, & præsertim D. Augustino, etiam si ipsi dicant, Augustini verbis tradi expressè suam sententiam. Augustinus enim eo libro de Quantitate animæ cap. 11. & 12. sententiam P. Suarezij videret expressè tradere, à puncto enim dicit incipere lineam, & in puncto terminari; & per punctum lineas dicit continuari, quod est ponere puncta terminantia & continuantia, & initiatiua, sicut dixit P. Suarez: hi autem recentiores non dicunt lineam à puncto incipere, sed à parte proportionali, & idem est de terminatione. Ratio est in eorum sententiâ euidentis, quia vnto non ponitur ab ipsis tamquam extremum lineæ terminans vel continuans, sed tamquam modus in ipsâ parte existens, & intra illam: vnde non potest propriè illam terminare, quia non est finis lineæ magis, quàm ipsa pars in quâ est. Imò D. Augustinus paulò ante hunc locum expressè docet, id vnde incipit lineam, non esse longitudinem: quia si est longitudo, non est initium illius,

Cui hi directè opponuntur, cum ponunt initium linearè à parte proportionali in quà iam est longitudo. Confirmo autem hoc idem congruentià quadam satis in hoc puncto efficaci, quia scilicet de vnione distinctà, quæ vt modus inheret partibus, nec D. Augustinus, nec Aristoteles, nec alij antiquiores disputarunt; ergo puncta quæ illi posuerunt, non sunt vniones, de quibus hi recentiores, sed qualia à Suarez admittuntur.

SVBSECTIO PRIMA.

Huius sententia prima impugnatio.

46 **S**ED quidquid sit, an satisfaciunt hi antiquorum intento necne, impugnatur hæc sententia efficacissimè. Et quidem in eà minùs consequenter loqui multos ex his ad ea quæ de vnione in communi dixerant, ostendi suprà Disputatione iv. à num. 53. vbi reieci illos aientes, vnum modum materialem non posse habere duo subiecta, quæ omnia iam hîc concedunt huic vnioni integranti. Absolutè verò eos impugno Primò, quia ex illà sequitur euidenter, penetrari naturaliter duas partes quantitatis, & consequenter etiam omnes posse penetrari, quod est euidenter falsum. Primam sequelam probò; & maioris claritatis gratiâ pono, diuidi asserem, & argumentor sic: Qualibet pars asseris quæ separatur, erat penetrata cum eà vnione, quæ in separatione est destructa, ergo & ambæ inter se. Pater euidenter consequentia, quia si ambæ erant in eodem loco in quo vnio, ergo ambæ erant inuicem in eodem loco: hîc enim habet locum suo modo, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se.

47 Possêt dici Primò, vnionem non fuisse nisi in vnâ parte adhæsiuè in alterâ in hæsiuè. Sed contrà Primò, quia cum illæ duæ partes eodem modo vniantur, & sint eiusdem rationis, cur vna haberet totum pondus vnionis, alia verò non? Contrà Secundò efficacius, quia eo ipso quod pars adhæreat puncto, debet penetrare totum punctum, secundum illos: inde enim arguunt contra Zenonistas, aientes punctum additum puncto facere maius; ergo, etiam si pars præcisè adhæreat, adhuc debet esse in eodem loco cum puncto seu vnione, & consequenter in eodem loco vbi est altera pars.

48 Respondebit Secundò, vnionem esse in duobus locis. Sed contrà, Primò, ergo res materialis, qualis est illa vnio, occupat duo loca, quorum quilibet illorum est illi æqualis: nam si est in duobus, non potest in quolibet minus quàm indiuisibile occupare, ipsum autem non est nisi indiuisibile; ergo occupat maiorem locum se. Contrà Secundò, quia vel occupat duas partes ligni diuisibiles, vel indiuisibiles. Si indiuisibiles, tenet Zenonista intentum, scilicet ibi esse partes indiuisibiles: si diuisibiles, ergo ex parte A. ligni abscissi occupabat partem diuisibilem, & aliam diuisibilem ex parte B. abscissi; & hoc est omnino repugnans, quia pars diuisibilis iam includit aliam vnionem, quæ adhuc manet in qualibet ex illis duabus medietatibus; ergo illa vnio quæ perit, penetrabatur etiam cum aliis vnionibus, quæ manent in vtraque medietate. cum autem essent vniones diuersarum partium, non poterunt inter se penetrari, nisi etiam partes,

in quibus erant, penetrarentur; quia vniones, vt potè modi partium, non occupant alium locum à loco partium.

Respondebit Tertiò, punctum tangere partem indiuisibilem, indiuisibiliter tamen. Verum hæc in primis est repugnantia in terminis. Aliud enim est rem, quæ denominatiuè tangitur, esse indiuisibilem, denominatur enim tota tangi, eò quod aliquid illius tangitur, sicut homo denominatur tangi, etiam si anima & vnio non tangantur, sed sola materia. Aliud verò est loqui de re, quæ propriè & in se, & non solum denominatiuè tangitur, seu de termino formali tactus. Nec etiam loquor de modo quo tangit, hoc enim est per accidens; Deus enim mihi est præsens indiuisibiliter, & tamen verè & realiter est præsens animæ & corpori, & consequenter rei diuisibili, seu duobus rebus. Rogo ergo, res, quæ fuit, verè, & non denominatiuè solum, tacta ab vnione in qualibet medietate ex illis abscissis erant vna Mathematicè, an duplex? Si vnica Mathematicè, ergo erat indiuisibilis (hoc intellige claritatis gratiâ per vnica Mathematicè) ergo iam ibi est pars indiuisibilis. Si erat duplex, ergo multæ partes sunt tactæ: hoc autem est tangere diuisibiliter, id est, res diuisibiles. sicut dixi, Deus in se indiuisibilis, dum tamen est mihi præsens, est verè præsens rei diuisibili, animæ scilicet & corpori.

Secundò non est ad rem hæc solutio, quia etiam si punctum non tangat totaliter partem, seu totam partem, pars tamen tangit totum punctum: ergo pars quælibet est in toto loco puncti, ergo quælibet pars penetrat alteram saltem quantum occupatur à puncto, siue partem siue multum. data autem aliquâ penetratione, & omnis potest dari, quia vt suprà ex Aristotele dixi, si duo possunt penetrari, & mille poterunt.

Respondebit Quartò, eam non esse penetrationem, quia non est in parte determinata. Sed contrà, hæc enim iam est quæstio de nomine, ego enim ostendo, ibi penetrari aliquid quantitatis (voca illud prout tu volueris) hoc ego absolutè voco penetrationem, & ex illo euidenter argumentor ad probandum, totam etiam quantitatem posse penetrari; quia si aliquid non impedit aliud vel indiuisibile, ne sit in proprio loco, nec impedit infinitum.

SVBSECTIO SECVNDA.

Alia impugnatio.

SECUNDò impugno hanc sententiam, quia ex illà sequitur, esse quidem in continuo infinitas partes materiæ (vt suprà ostendi) solum tamen indiuisibiles, quod hi Auctores conantur fugere. Probo manifestè sequelam: si auferat Deus diuinitas omnes modos vnionis à ligno, repugnat, vt maneat ibi aliquod diuisibile, seu compositum, quia compositum seu diuisibile essentialiter dicit vnionem; ergo omnia, quæ manent, sunt indiuisibilia.

Dices: Casus includit repugnantiam, quia de essentia quantitatis est, esse diuisibilem; vnde semper debet habere aliquam vnionem. Sed contrà Primò, quia hæc est clara petitio principij; id enim nunc impugnatur: tu verò respon-

des ipsa tua conclusione. Contra Secundò, quia argumentum nunc non contendit, id, quod remanet, futurum quantitatem, sed indiuisibilia illius, siue vocetur quantitas siue non, vel ut volueris, sicut de essentia hominis est, dicere vnionem inter animam & corpus, seu esse essentialiter diuisibilem. Quia verò de essentia materiae vel animae non est, eam vnionem habere, potest hæc ab animâ & materiâ separari, & tunc nulla ex illis manebit diuisibilis, neutra etiam erit homo. Iam ergo ideam hic dico: separaret Deus omnes vniones, quod remanebit, non erit quantitas (si nomine quantitatis intelligis aliquod compositum, nolo enim contendere de nomine) quia non manet vnio; manebit autem aliquid indiuisibile, ergo continuum tandem componitur ex solis indiuisibilibus, siue ea sola sint quantitas, siue non.

Dices: Si quodlibet punctum seorsum non est quantitas, esset implicatorium vt ex illis resulteret quantitas. Hoc etiam aliqui obiciunt contra sententiam de solis punctis: sed miror, homines doctos nixos tam debili scipione. Rogo enim, cur magis repugnat ex non quantis fieri quatum, quam ex non hominibus fieri hominem, scilicet ex materiâ primâ & animâ rationali? Quod idem est in omnibus compositis essentialibus, & ponamus exemplum in continuis: ex non palmis fit palmus, ex non manibus fit manus, &c. Ratio à priori tam est euidentis, vt non relinquat vel vmbra difficultatis. Quantitas per se est aliquid compositum seu diuisibile, quod idem est ac dicens duo, tria, vel plura aliqua: numquid duæ vnitates, quarum quælibet est tantum vna, si vniantur, non facient duo & aliquid diuisibile, quia pars non debet necessariò habere denominationem compositi seu totius quod constituit? Nulla ergo est repugnantia ex hoc capite, vt ex punctis non quantis fiat quantum.

Dices fortè Secundò, vniones illas esse infinitas, & non posse omnes destrui. Sed contrà, quia iam non contendo vt destruantur successiue, sed simul: ad hoc autem quid facit infinitas? nonne in vno momento simul tam bene possunt produci aut destrui à Deo mille & infinitæ creaturæ, quam vna sola?

Dices Tertiò, vniones esse modos. Rursus contrà, ego non volo vt vniones maneant sine subiectis, sed vt subiecta sine vnionibus.

Dices Quartò: Etiam vbicatio est modus, & tamen non potest res sine omni vbicatione manere. Rursus contrà, fateor tibi, esse modos aliquos à quibus subiectum non potest omnino absolui, vt est actio, duratio, vbicatio; ibi tamen repugnantiam desumimus ex ipso lumine naturæ, quod dicitur, creaturam debere esse actu productam, casu quo existat, esse autem productam, habet per actionem: item & debere vel fuisse, vel futuram esse, vel esse de præsentia, quod habet per durationem. In vbicatione res non adeò est clara; à simili tamen de duratione ostenditur, & propterea à multis negatur ibi illa dependentia. At in chartâ, quæ ratio probat, pendere essentialiter ab vnione illa puncta ex quibus charta componitur? Certè nisi gratis affirmari non potest talis repugnantia, quod iam amplius ostendo: nam de facto potest multas ex illis vnionibus amittere, nullâ aliâ in earum locum succedente.

quam ergo habet maiorem connexionem cum remanentibus? Secundò impugno solutionem, quandoquidem vnio est modus materialiter à subiecto dependens, debet saltem pro priori naturæ subiectum præcedere ad vnionem. Iam ergo pro illo priori naturæ, quo præcedit subiectum, intelligi non potest diuisibile seu compositum. Probo euidenter, quia ante vnionem non est compositio (vt necessariò tu debes faceri) ergo pro illo priori concipitur illud subiectum indiuisibile; ergo omnia quæ sunt in subiecto, sunt indiuisibilia: puncta enim vnionis sunt indiuisibilia; subiecta, vt dixi, sunt indiuisibilia, ergo omnia. Simili omnino argumento vtitur P. Hurtadus Disput. 13. Metaphys. à §. 32. contra alienas à quantitate prouenire materiæ partes: arguit enim pro priori naturæ ante quantitatem, &c. eo modo quo hic nos contra illum, & dicit argumentum esse euidentis; ergo & hic ipsius sententia eodem argumento euidenter reicietur. Confirmo fortius: demus per possibile, vel impossibile, ea subiecta relinqui pro posteriori naturæ sine eis vnionibus, illa essent verè indiuisibilia, & puncta, quia sine vnione non est compositio; ergo etiam de facto sunt in se indiuisibilia, & puncta, licet accidentaliter & denominatiue ex vnione superaddita sint diuisibilia; sicut anima, quia ex se ante vnionem essentialiter est indiuisibilis, etiam post vnionem in se est indiuisibilis, licet constituat rem diuisibilem: quod adhuc verum foret, etiam si anima esset essentialiter affixa tali vnioni, sicut hi volunt, affixum esse subiectum vnionis continuatiue ipsi vnioni. Ratio à priori est, quia indiuisibilitas rei non tollitur per vnionem, hæc enim solum directè opponitur separationi seu scinditioni; ergo licet nihil sit in materiâ separatam seu seiunctum, quia nihil est non vnitum; ea tamen quæ vniantur, tam in se sunt indiuisibilia, quam si carerent vnione, licet totum ex eis resultans non sit indiuisibile, vt in exemplo hominis respectu animæ & corporis monstratum est. Aduerte, me semper consultò vt nomine *subiecti*, ne locum dem aduersariis ad nouas euasiones. Si enim dixissem *puncta*, respondissent mihi, me iam ibi supponere ea esse puncta, quod debuissim probare: si verò dixissem *partes*, statim clamarent, *pars iam dicit vnionem*; quod quidem licet, vt supra ostendi ex animo rationali, falsum sit, do tamen illis, ne terminis confundamur. Voco ergo *subiectum*, & de illo probo esse debere indiuisibile, quod ex argumento præcedenti & confirmationibus euidentis videtur.

SUBSECTIO TERTIA.

Vltimò hæc sententia reicitur.

TERTIÒ argumentor: rogo enim, an in continuo post punctum vnionis ante aliud punctum veniat pars diuisibilis, an indiuisibilis. Si indiuisibilis, teneo intentum, scilicet ibi esse partes indiuisibiles, seu puncta: pars verò diuisibilis venire non potest, quod ostendo euidenter. In parte diuisibili essentialiter venit vnio, quia per eam fit diuisibilis; ergo ante vnionem non venit pars diuisibilis. Euidentis est consequentia, quia si in ipsâ parte est vnio, ergo pars non est ante vnionem, ergo vniones non distant inter se spatio diuisibili.